



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

De meditatione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

attamen aut parùm profecerint, non propterea statim animum despondebunt, aut à cœpto desistent: quin potius hanc suam spirituales inopiam ac desolationem cum plena & perfecta resignatione pati ac tolerare studebunt, certò sperantes fore, ut Deus, visâ hac illorum fidelitate & constantia, omnes istas difficultates amoliatur.

CAPUT V.

De Meditatione.

POST præparationem statim sequitur meditatio; & sicut illius finis fuit, ut animus sese recolligeret, atque ad Deo loquendum disponeret, ita istius finis esse debet affectus excitare voluntatis, ut ipsa se resolvat ad ea, quæ intellectus perspexerit, ac de quibus convictus fuerit, executioni mandanda. Ut autem facilius intelligatur, quomodo in ipsa se quis meditatione habere debeat, primò exponemus, quid sit meditari. Secundò quænam ad bene meditandum sint necessariæ conditiones, ac demum quinam in meditatione defectus committi ordinariè soleant.

Quid sit Meditatio.

Meditari est rem quampiam attentè considerare. Est penetrare, explicare & animo non minus quieto ac tranquillo, quam attentò & vigilantî minutatim examinare ea omnia, quæ in re quapiam quasi involuta delitescunt, ut inde fructus aliquis spiritualis eliciatur.

*Definitio
meditationis
Meditari
est quasi
per mediâ
resire.*